



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 11. Beneficia ecclesiastica in Anglia occupantur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

etiam Delphino Carolo Gallorum Regis secul. XIV.  
 filio natu majori, Ludovico Regi Neapo- A.C. 1352.  
 lis, ejusque conjugii Reginae Joannae.  
 Non video, quos dicam hos Delphinatus  
 hæreticos, nisi reliquias Valdensium.

Eodem tempore comparuit in Cata- Emeric.  
 lonia quidam Nicolaus natione Calaber, direct. p. 266.  
 sed qui diu egerat in Hispania. Dicebat  
 certum Hispanum Consalvum nomine  
 Conchana ex dioecesi esse filium Dei ex  
 omni æternitate in cœlo genitum, et si  
 habere in terra patrem matremque visus  
 esset. Hunc Consalvum non moriturum:  
 Spiritum Sanctum humanam aliquando  
 naturam juncturum sibi: & tunc fore,  
 ut Consalvus orbem univèrsam adducat  
 ad Christum. Extremi judicii die oratu-  
 rum pro cunctis in noxa letali mortuis  
 & damnatis, salutemque iis impetratu-  
 rum. Denique Nicolaus Calaber tres in  
 homine partes distinguebat, animam a  
 Deo Patre factam, corpus opus Filii, spi-  
 ritum creatum a Spiritu Sancto.

§. XI.

*Beneficia ecclesiastica in Anglia  
 occupantur.*

**E**dwardus III Anglorum Rex videbat  
 multa regni sui beneficia possideri a  
 Cardinalibus, Romanæ curiæ Ministris,  
 pluribusque aliis semper absentibus. Er-

Sæcul. XIV.

A. C. 1352.

*Rayn.* 1352.

n. 17.

go in possessionem illorum omnium Ministros misit suos, nec fructus eorumdem a beneficiariis aut horum procuratoribus percipi sinebat. Quo comperto Papa Regem sub anathematis poena, si non pareret, monuit, ut intra quatuor menses manus injectionem solveret: eo quod his beneficiariis præsentiae gratia fuisset facta, sive propter servitium Ecclesiae præstitum, sive ob litterarum studia, sive alia de causa. Præterea reddi fructus perceptos, & illos, qui percipi potuissent, damnaque refarciri iussit. Postquam Rex per Oratores agnita culpa sua se illi obtemperaturum sponderat, Papa diem usque ad primum senatum sacrum post anniversariam Ascendentis in cœlum Christi memoriam habendum protulit. Ita sonant litteræ, quas dabat 15 Oct. 1352. Sed ante hoc tempus obiit.

## §. XII.

*Poloniæ Rex absolvitur.**Duglos.* l. 9.

p. 1088. D.

*Rayn.* 1349.

n. 25.

Abhinc duos circiter annos Casimirus ob plura crimina censuris ecclesiasticis affectus fuerat. Post relatas victorias, ademptasque vicinis terras libidini deditus contempta Regina Adelaide conjugæ sua quanquam formosa & prudente, concubinarum greges variis in locis aluit. Cum Episcopi ac Proceres regni saluta-